

---

## PRÆFATIO.

**Q**UID in hac Euripideæ Hecubæ editione præstare conatus sim, paucis exponam. Nihil hic exquisiti aut reconditi expectandum; tironum usibus hæc opella potissimum destinata est.

Primum hoc operam dedi, ut *textus*, si non omnino emendatus, plerisque saltem ceteris editionibus purior exhiberetur. Deinde editoris officium esse judicavi, nihil, nisi monito lectore, novare; præsertim, si qua ex conjectura lectio admittenda videretur. Quocirca editionis Aldinæ lectionem semper memoravi, nisi forte paucis in locis, quæ ad communem errorum fontem pertinerent, cujusmodi est Dorismus iste *μάτηρ* pro *μῆτηρ*; et terminationis, sive *ν* additio vel detractio.

Quod ad varias lectiones attinet, plerasque præterquam aperte vitiosas, enotavi; sed auctoritates, quibus singulæ nituntur, non semper curiose enumeravi; propterea quod modo non erat tanti, modo tam negligenter in hoc munere versati erant ceteri editores, ut testimonia MStorum neque accurate numerari neque ponderari possent. Quotiescunque Euripidis loca ab antiquo quopiam scriptore cum varietate lectionis laudari memineram, sedulo monui. Hujus rei insigne exemplum reperies versu 574.

a